



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



Q. D. B. V.
SPECIMEN ⁴⁷ 27.

**GROTII DE JURE
BELLI ET PACIS CASIBUS
FICTIS ILLUSTRATI,**

PRÆSIDE

DOMINO

SIMONE HENRICO MUSÆO D.

Prof. & Facultat. Jurid. Assessore.

In Auditorio Majori die Januarii.

publicè defendet

MICHAEL HENNING WEDDERKOP

Auctor & Respondens.



KILONI,

Imprimebat Joachimus Reuman, Acad. Typogr.

Anno cl^o l^o c LXXXIX.

Perillustri & Excellentissimo
DOMINO
JOACHIMO
AB ALEFELD,
Hereditario Domino in Bockhagen
& Olpenis,

Serenissimi Ducis Regentis Slesuici &
Holsatiae Consiliario Provinciali, Intimo, Status
& Camerae, Supremoque Aula Ministro.
Ut & Praefecto in Trittau & Reinbeck &c.

Nec non
Illustri & Excellentissimo
DOMINO
MAGNO à WED-
DERKOP,

Hereditario Domino in Schegarden,
Serenissimi Ducis Regentis Slesuici & Holsatiae
Consiliario Intimo, Status & Camerae
Capituli Lubecensis Canonico.

DOMINIS PATRONO ET PA-
TRUO SUMME COLENDIS.

Praesagit mihi animus, fore, ut in sermonem hominum atque in magnam vituperationem veniam: tam propter imprudentiam, quod hos ingenii impetus & immaturum hunc foetum è tenebris in lucem protrahere ausim: tum propter impudentiam, quod primis statim paginis *Excellentissima Vestra Nomina* inscribere non dubitaverim. Reprehendant vero impune quibus ita visum est. Me sane tantum abest, ut ab instituto revocent, & dignitatis, in quo collocati estis, fastigium, & virium mearum tenuitas: quin potius in contrariam flectant partem multae gravissimaeque, quas habeo, causae, ut **VOBIS** tanquam Mæcenatibus meis hoc exiguum laboris mei specimen offerendum putaverim. Agmen inter illas ducere non immerito poterit materiae, quam praeter ceteris eligendam duximus, adeo excellens praestantia & utilitas, ut ea vix à nobis exprimi posse videatur. Sufficiet dixisse tantummodo incomparabilis aeternique illius operis, tantis tamque praecclaris elogiis passim à viris inter paucos doctissimis ornatum, quo Hugo Grotius Jus Belli & Pacis explicandum sibi sumpsit, vestigia

nos sequi. De quo opere jure optimo usurpare illud poteris, quod de Panætio P. Rutilius Rufus dicere solebat: ut nemo pictor esset inventus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, ab solveret, (oris enim pulcritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat) sic ea, quæ Panætius prætermisisset, & non perfecisset, propter eorum, quæ fecisset, præstantiam, neminem esse persecuturum. Videmus quoque non tantum præstantia sua egregium illud opus omnium favorem sibi conciliare; sed & magnam adjunctam habere utilitatem. Qui enim non fructus ex istis studiis, quæ Grotius in aureo libello suo præclare excoluit, ad omnia Reipublicæ tempora redundant? Hæc prudentes Principi ministros largiuntur: admovent æquos tribunalibus judices: graves ad consilia præsides & senatores vocant: illa belli pacisque artes Justitia instruunt: jura legationum sancta reddunt: fœderibus robur accommodant: denique quicquid inter diversos populos intercedere potest commercii tuentur. Hanc sententiam & *Vos, Viri Excellentissimi, Vestro* suffragio adjuturos esse; cum ex multis aliis, tum præsertim ex flagranti, quo Grotium complecti non dedignantini, amore persuasissimum habeo. Cum enim ad Reipublicæ nostræ clavum sedeatis Rectores, & publico vivatis bono: cum in *Vos* cives omnes o-

ra

ra convertant, atque in *Vestra* rerum agendarum peritia, tanquam in anchora sacra, difficillimis hisce temporibus, confidant: optimè nostis nonnunquam præclara *Vobis* ex abditis Grotii penetralibus oracula petita esse. Quare non dubito amplius *Illustri Vestro* conspectui sistere incomptum ingenii mei specimen: quo singulorum Grotiani operis capitum quæ placuit casibus fictis illustrare conatus sum. Leves illos quidem, si majestatem argumenti spectemus, haud negare possum: cum nec mihi ipsi fucum facere, & simiolæ exemplum, quæ ipsa amplectitur osculaturque prolem, imitari liceat: nec ursinam in me agnoscere indolem, quæ lambendo detergit, si quid in illis laude non dignum videatur. - Esset quidem auctoritati *Vestra* conveniens, ut nihil nisi ab ingenio excultum, ab arte limatum, ab industria elaboratum, & denique profuturum publico sub tutela *Nominis Vestri* in publicum prodiret. Cæterum qui à Juvene in primo ætatis flore fructus expectandi? quid tersum? quid politum? quid grave? quid denique solidum atque subactum. Itaque temeritatis notam me vix effugere posse video: qui *Vestra* luce adoptiva, hanc dissertationis meæ obscuram caliginem, discutere ausus sum. Quare magno me beneficio affectum putabo, si comiter excipietis obsequii mei, quod *Vobis* sisto, specimen

men & fronte serenâ : si nihil habent hæ pagine, quo
Vobis commendentur, tantum agnoscatis præclaram
clientis *Vestri* voluntatem, cui, si suo se pede metitur,
exigua planè est facultas. Qua spe fretus supplices
DEO O. M. preces fundo. Faxit ille ut diu amplis-
simis *Vestris* muneribus superesse possitis: eaque,
qua nunc florere *Vos* videmus gratia, perpetuò florea-
tis: ut tam publico omnium honorum quam & meo
commodo invigilare possitis. Quod ut facturos *Vos* con-
fido, (de favore enim *Vestro* securus omnia spero)
ita ut facere velitis, ea, qua par est, observantia, rogo.

Excellentissimorum Nominum Vestrorum

Cultor devotissimus

Michaël Henning Wedderkop.

PRÆ-

I. N. D. N. J. C.

CUm aliquot ab hinc annis Jurisprudentiæ Uni-
versali & *GRO TIO de Jure Belli & Pacis*
operam impenderim: adeo me cepit istius di-
sciplinæ, illustrem etiam in Jure Privato facem præfe-
rentis, gratia, pulcritudo & majestas: ut hujus qua-
liscunque studii publicum, ante meum ex hac Acade-
mia discessum, monumentum relinquendum esse du-
xerim. Placeat aliis *Themidi Particulari* sacrificium
offerre: nobis filiam in matre colere; & *Universalis*
Jurisprudentiæ aris jam honorem imponere placuit.
Utinam, quam non indignam legum cultore mate-
riam elegi; tam digna methodo hanc tractanti perfe-
qui liceret! Video à præstantissimis JCTis ARTEM
CASUANDI nunc exemplo, nunc elogio commen-
datam esse: quam certis includere regulis JACOBO
GOTHOFREDO, quam illustri JCTo quondam? o-
peræ pretium visum est. Hujus praxin si cui, novo
minusve usitato exemplo, ad Juris Naturæ & Genti-
um illustrationem traducere videmur: illi nos, cum
veterum JCTORUM præludia, tum instituti fructus ex-
cusaverint. Habet hoc illa methodus præclari, quæ
decisiones Juris seu publici seu privati in casibus repræ-
sentat: quod illarum & nebulas dissipet, &, si quem ha-

habent, horrorem peculiari gratia & venustate con-
diat. Cæterum casibus omnino nobis uti placuit fictis,
quibus si aliquando vera gentium facta præluxere; hæc
tamen variis circumstantiis ita immutavimus, ut jam
non pro iisdem habenda sint. Circa stylum & fictio-
nem nominum, quæ personis in hoc teatro com-
parentibus imposita sunt, liberè meo indulsi genio:
& malui differtatiunculæ minus accuratæ, quam nimis
affectatæ, auctor videri. Quod si hic negligentior
præsentis opellæ cultus BENEVOLO LECTORI
climatissimis, quæ hoc seculum enititur, scriptis affue-
to, se non probaverit: saltem ab ejus æquitate im-
prosperi conatus veniam speramus. Cui felicem an-
ni, quem inchoavimus, decursum, & aurei in hoc
reditum seculi exoptamus.

CASUS I.

Ad
Lb. I.
C. l. g.
VIII.

Titus, eximia corporis magnitudine insignis, pal-
lio indutus incedebat admodum parvo: *Cajus*
vero, statura parvus, prolixo & satis longo vela-
tus erat. Ille, quod sibi commodum erat, justum
esse contendens, ut pallia inter se commutarent: hunc
longo denudat, eique breve suum obtrudit: *Cajus* inju-
riam si fieri conqueritur. Tandem communi consen-
su rem omnem ad arbitrium *Mævi* deferunt: qui causa
cognita sententiam tulit pro *Titio*, hac inductus ratione,
quod is, quo permutatione facta uterentur, vestitus
utrique esset convenientior. Cæterum *Mævius* hanc
con-

controversiam non justè sapienterquè disceptavit: cum
Justitia Expletrix, suum domino vindicans, proportio-
nem Geometricam nullo modo respiciat.

CASUS II.

Rempublicam *Rufagam* vicinus quidam *Regulus*, c. II.
quem *Ambiosum* nuncupamus, patientia illius abusus,
variis injuriis vexandi modum non faciebat, Quæ cum
hic facinora semper impunè tulisset: hoc animatus suc-
cessu eò processit audaciæ: ut paucis, quas habebat, co-
piis *Rufagano* territorio immisis, dictæ Reipublicæ in-
gentem pecuniæ summam imperaret. Illa, quæ hacte-
nus omnes injurias perferre & patienter concoquere
consuevisset, tanta *Ambios* iniquitate perculsa, vix tan-
dem dubitare cœpit: pecuniamne imperatam solvere; an
opes, quibus florebat, ad repellendam aggressoris vim
transferre præstaret? Erant in curia *Rufagana* quidam
superstitiosi Senatores, qui bellum, quòd tolerantia
reparabilis damni & pecunia elidi posset, Christianis po-
pulis, lege charitatis naturali & Jure Divino crederent
interdici: quòd ipse Salvator, *non obstitendum injurioso,*
& *gladio ferientem gladio periturum esse*, edixisset. Cæ-
terum prævaluit illorum sententia, qui bellum contra
Ambiosum Reipublicæ tot injuriis læsæ non tantum u-
tile; sed etiam Jure Naturali atque Divino, repressis
contrariis argumentis, licitum esse demonstraverant.

CASUS III.

Raumisani Aneroestum in Regem eligunt; illique c. III.
summam potestatem per omnia deferunt, unico hoc s. XVI.
excepto reservato: *Aneroesto*, sine consensu statuum,

B

NOVA

nova' indicendi tributa Jus non fore : quod juramento suo *Raunitanis* confirmat. Contingit deinde , ut, promissi hujus immemor, illicitis & sine consensu Statuum indictis tributis subditos vexet. Qui hac Regis perfidia graviter offensi, contra illum insurgunt; & id agunt, ut illum regno exuant, perhibentes: *Aneroesum* non majestate absolutam; sed per capitulationem ita restrictam pollere: ut si hanc violaverit, à populo deponi queat. Excipit Rex, licet populo aliquid promiserit, tamen si ab hoc promisso illum coegerit ratio status discedere, rationem se Deo, non populo, reddere debere. Summum imperium habentes à populo non dependere, a deoque judicari, cogi, deponi non posse: tale verò sibi esse delatum, cui nihil detraxerit dicta capitulatio. Placet nobis exceptionem *Aneroesi* Grotii auctoritate subnixam defendere.

c. IV.
§ II.
VII, XL

CASUS IV.

Rex *Sulitania* jura populi in regno suo iniquissimis modis oppresserat: & in subditorum corpora atque bona tanta saevitia aliquandiu erat grassatus, ut certum videretur exitium ab ejus tyrannide populo imminere. Tanta Regis rabie & Sulitanorum calamitate atque periculo vicinus quidam *Regulus*, quem *Herculem* appellabimus, commotus, cum firmo exercitu regnum ingressus est & Regem *Sulitania* bello invasit, propter injurias subditis intolerabili saevitia illatas. Hic à vicinis gentibus auxilia petens contendebat, pessimi rem exempli fore, si impune liceret vitis principum irasci. Sed responderunt istæ, pejoris rem exempli fore, si justis gentibus non liceret populi insontis, afflicti, & crudeliter oppressi misereri. Quippe tyrannos non tantum Deus abomi-

abominatur; sed etiam homines, gentes & boni Principes fugiunt, deserunt atque detestantur,

CASUS V.

Imminebat *Siphania* regno potentissimus hostis, ^{C. V.} ^{§. III.}
cujus copiis arcendis non sufficiebat conscriptus pridem miles. Itaque decem hominum millia ex subditis in usum hujus belli, legenda esse videbantur. Cæterum ex quo subditorum ordine legenda forent, dubitari cœpit. Si ex agris legerentur, hi inculti jacerent: si ex opificibus & oppidanis, non parum ærario decederet. Ad hoc jam pridem incolarum inopia laborabat *Siphania*. Placuit ergo illorum sententia, qui ex monasteriis tantum ignavorum ventrum numerum, quod facillimè sine ullo ærarii & annonæ decremento fieri poterat, legendum esse censerent. Ad hoc regno commodum fore, ut Monachi opibus florentes suis sumptibus militare cogerentur. Neque metuendum esse, ne ordo Monachorum eradicetur, qui graves sint regno, & nihil ad propagationem populi momenti conferant. Levem fore lolii hujus & hirudinum harum jacturam. Reclamabant alii, immunitatem Clericis à militia indultam esse, urgentes. Sed his responsum est, potiozem esse salutem & necessitatem regni hoc privilegio.

CASUS VI.

Inter duos nobiles *Musium* & *Cajum* rixa quædam ^{Lib. II.} ^{C. I.} ^{§. X.}
exarserat: in qua *Musius* tandem à verbis ad verbera deveniturus, baculum, ut *Cajum* feriret, tollere videbatur. *Cajus* in anguli coactus angustias, quem aliter ictum baculi imminentem declinare non poterat, *Musii* eade prævertit. Mancipatus deinde carceri & homicidii accusatus,

satus, defensionem suam his argumentis instruit: *Mansium*, in *Cajum* ictum baculi dirigendo, huic adversus se in infinitum adeoque cædis inferendæ facultatem moralem dedisse, quatenus aliter malum illud arceri non potuerit. Se imminētis ignominiaē metu percussus, & non injusto dolore commotus, patientiæ quidem in Evangelio præscriptæ limites transilivisse; sed à Deo sperare veniam lapsus, quem seria sit pœnitentia expiaturus. Cæterum non Justitiam Explettricem, imo nec caritatis quidem officia læsisse, adeoque pœnæ non obnoxium esse. Reponit accusator, legi caritatis repugnare, vitandæ levis injuriæ gratia proximi sanguine ferrum tingere. Justitiam verò Explettricem exigere proportionem inter defensionem & læsionem: utramque violasse *Cajum*; & homicidii reum esse. Favet *Cajo* Grotius; sed Grotio hic veritas & Justitia non favent.

CASUS VII.

c. 11.
9. III.
21.

Egunenses, qui maris *Gulifitici* dominium & in illo imperium sibi arrogabant, interdixerunt *Bieris* ne sine impetratâ veniâ per illud classe transirent; & *Nevetis* significarunt, se nolle, ut ex illo corallum legerent, contraria ausuris severam vindictam minitantes. Cum vero utrique hanc denunciationem spernerent, & contrariis factis auderent eludere: *Egunenses* repertas illorum in mari *Gulifitico* naves interceperunt, abstraxerunt, detinuerunt. Repetebant suas *Nevetis*, perhibentes mare liberum esse & nulli servire domino; postulabant & suas *Bieri* asseverantes, jus navigandi & transitus innoxii in mari proprio, ne ab ejus domino quidem populis pacatis negari posse: cum in res proprias lus omnibus

comi-

competat; ad utilitatem, qua nihil domino decedat. Re-
gerebant *Egunenses*, invito maris domino, aliis neque per
illud transire, neque in illo piscari & res pretiosas legere
licere: deinde se quatenus in mari *Gulifisco* imperio pol-
leant, potuisse illi, quam voluerint, legem dicere. Nos
Revetos Egunensibus, Egunenses Bieris injuriam fecisse
arbitramur.

CASUS VIII.

Ad littora *Siphana* magnam Ambræ copiam Ocea-
nus ejicere consueverat, ex qua cum Rex intelligeret opi-
mos redditus fisco suo accrescere posse, sine populi damno,
legem tulit: ne ulli subditorum Ambræ legere liceret,
constituta gravissima in transgressores pœna. Quæ lex
speciem injustitiæ populo præbere visa est, publicè que-
renti: hac lege facultatem, quæ nullius sunt, per occupa-
tionem acquirendi naturalem, & jus præscriptione qua-
situm, sibi interverti. Caterum pro Rege rationes mili-
tant graviores, posse libertatem naturalem à lege civili
restringi: Jus vero hanc restringendi, cum sit meræ facul-
tatis, Regem præscriptione amittere non potuisse.

CASUS IX.

Repetebat à Principe, quem *Augustum* dicimus, Rex
Vicinus, cui *Tiberii* nomen imponitur, ditiones
quasdam finitimas, tanquam ab Antecessoribus suis quon-
dam possessas: ipse verò *Augustus* ab *Episcopis Moranis*
provincias & urbes, malis artibus occupatas, & Anteces-
soribus suis ereptas, vindicatum ibat. Removebat *Tiberi-
um Augustus, Augustum Episcopus Moranus* exceptione usu-
cipationis. Respondebat *Tiberius* usucaptionem, quæ ex
legibus civilibus robur acquirat, inter diversos populos &

Reges locum non habere; *Augustus Episcopus Morano*: ad usucapionem iustum titulum & bonam fidem requiri, quæ requisita in *Episcopo Morano*, respectu usurpatarum ditionum, provinciarum & urbium defecerint. Ad hoc de quietâ & continua possessione *Episcopos Moranos* gloriari non posse, quam *Augusti* Antecessores saltem protestationibus sæpius interruperint. Nos utrobique *Augusto* damus sententiam.

CASUS X.

c. v.
§. I, II
1099

Tisii filius incio patre se in certum monasterium receperat, ubi anno probationis finito, à Monachis persuasus, vota Monastica nuncupavit. *Tisius* qui diu, ubi filius delitesceret, ignoraverat, re comperta hunc, jure patriæ potestatis usus, à monasterii Abbate vindicatum ibat. Excipiebat Abbas, *Tisii* filium per Monachatum à patria potestate liberatum esse: quod si hodie post contracta matrimonia liberi non amplius pro parte familiæ paternæ haberentur, multo minus *Tisii* filium jam pro familiæ paternæ membro habendum esse, postquam contracto spiritali matrimonio Deo vota nuncupaverit. Regerebat *Tisius*, filium incio patre mutare statum haud potuisse: teneri liberos consensum parentum, sicut ad nuptias, ita & ad electionem vitæ monasticæ requirere. Denique vota à liberis, incio patre, in cujus sunt potestate, temerè nuncupata, ab hoc irrita reddi posse. Nos *Tisii* filium ab Abbate patri restituendum esse censemus.

CASUS XI.

c. VI
§. IX

Rex quidam *Maglie* regnum liberum, quod non habebat in patrimonio, infeudavit *Tompisci*, certa pensione annua promissa, in recognitionem domini directi.

Nul-

Nullam dicit hanc infeudationem populus, quod Rex usufructuarius non habeat regni alienandi potestatem; di-
 &ique Regis Successores dominium directum *Tompifca*
 recognoscere, & censum ab antecessore invalidè promissum illi persolvere nolunt. Ceterum *Tompifex* contendit, regnum non alienatum, sed retento dominio infeudatum esse, & quidem à rege absoluto, qui à populo non dependeat: nihil vero evidentius esse, quam ditiones cum suo onere ad Successores transmitti; Regesque ex contractibus antecessorum obligari. Nos contra *Tompifcem* respondemus: tum quod infeudatio sit alienatio quaedam conditionalis, tum quod Rex non desinat esse absolutus & independens, etiamsi regnum alienare nequeat; & ex aliis rationibus, quas in conflictu considerantibus pandemus.

CASUS XII

Vir quidam nobilis ad secunda vota transiens plebejam duxerat in matrimonium, quod 2. *Fend.* 29 dicitur ad morganaticam; & in testamento caverat, ut liberi utriusque matrimonii in divisione hereditatis æquitatem naturalem pro norma sequerentur. Itaque ex secundo matrimonio geniti æqualiter cum exstantibus prioris matrimonii liberis volunt in bona defuncti patris succedere, causati: testatorem liberos adstrinxisse, ut non aliam in partitione hereditatis normam, quam æquitatem seu Jus Naturæ, sequerentur. Jam vero hoc æquare liberos ex utroque matrimonio natos: præcipuè cum postremum omnia requisita essentialia naturaliter iusti matrimonii habeat. At liberi prioris matrimonii negant, sibi fratres consanguineos a jure naturali jam æquari: quos pactum in

c. VII.
 VII.
 2. 2.

in matrimonio ad morganaticam involutum secreverit,
& Jure successionis spoliaverit. Equitatem verò non
pati, ut pacta violentur: in quorum favorem nostra ten-
dit decisio,

CASUS XIII.

c. VIII.
§ III. *Amadeus* Dynastes cervum ceperat crepundia ge-
stantem, in quibus insignia vicini Reguli præfulgebant,
Itaque conscientiæ scrupulosæ consulturus tres peritos
cõsuluit, quibus *Modestini*, *Hermogenis* & *Papiniani* no-
mina imponemus, quid in foro poli circa talem feram ca-
pienti liceret? *Modestinus* Grotii principis innixus, besti-
am semel à vicino Regulo occupatam, & per addita *vinculo*
partu in dominio retentam, restituendam esse sine mora
priori domino respondet. *Hermogenes*, ut in re dubia
mediam viam eligens, dimittendam saltem esse feram
putat: si *Amadeus* illam Regulo, qui prius ceperat, resti-
tuere nolit. At *Papinianus* ab utroque dissentiens illa
conscientia cervum ab *Amadeo* retineri posse arbitratur:
cum feræ bestię dominium in actuali possessione consistat,
quod amiserit Regulus Vicinus, ommissa vel amissa illius cu-
stodia. Nos in *Papiniani* sententiam pedibus imus,

CASUS XIV.

c. IX.
§ IV. Respublica libera, quam *Pacuano* appellabimus,
bellis intestinis, terræ motu, pestilentia adeo convulsa at-
que attrita, ut ex sat magno populo non plures, quam
sex familiæ, tantis cladibus superstites remanserint, pri-
mi ordinis Legatum ad vicinas gentes destinat, qui so-
lennes sibi vult honores deferri. Hos illa exhibere di-
cto *Pacuano* Legato recusant, quod tam pauci cives ex po-
pulo *Pacuano* super sint; qui populam facere & jura sum-
ma

mae potestatis exercere nequeant. Excipit Legatus sicut collegium in uno membro, ita populum in paucis residuis civibus conservari posse, ad quos imperii jura recidant. Et quamvis omnia fortè in actu secundo non possint exerceri, de jure tamen mittendi Legatum contrarium in praesenti casu constare. Ad hoc Rempublicam suam Regi infanti comparari posse, qui quanquam in actu secundo non regnet, mittere tamen Legatum caractere repraesentatio insignitum possit. Replicant Gentes, formam Regis infanti adesse posse: sed in reliquiis populi *PACUANI* formam populi non apparere; neque illas aliter quam nuda potentia imperii jura obtinere, quatenus possint, ascito justo peregrinorum numero, Rempublicam ex suis cineribus resuscitare. Qua ratione moto liceat contra Legatum pronunciare,

CASUS XV.

Eurymedes Dux bellicus Regis *Cilisia*, durantibus induciis, contra fidem datam, hosti castellum extorserat; seu ut dederet, obsidionis illum incusso terrore compulerat. Hostis ergo à Rege *Cilisia* petit; ut *Eurymedes* puniatur; & castellum contra inducias extortum sibi restitatur. Rex *Cilisia* punit *Eurymedem*, sed castellum hosti non restituit, cujus possessionem ancipiti belli fortunæ debeat, ad hoc non erepti, sed pactione dediti. Cæterum hostis ad castellum memoratum dedendum se vi injusta compulsus esse; adeoque ejus dominium retinuisse protestatur: Regem contendens ad rem alienam domino sine mora restituendam obligari. Cujus causæ patrocinamur.

CASUS XVI.

Rex *Cosrica*, qui belli civilis tempestate coactus re-
C. XL
§. III
C gno

gno excefferat, postquam opera & copiis Regis *Darfinia* restitutus esset, huic per Legatum properati auxilii gratias egit; & ut grati animi documentum ederet, donatâ centum aureorum millia intra triennium se numeraturum esse promisit. Rex *Darfinia* humanissimè respondens, donum oblatum non quidem respuebat: sed ejus præstationem videbatur offerentis pudori reliquisse. Interim triennio præterlapso, cum donum promissum non exhiberetur; & promissor monitus se illud præstare posse negaret: Rex *Darfinia* naves & merces *Cosricenses* in regno suo deprehensas retinet, haud ante relaxaturus, quam oblata centum aureorum millia à Rege *Cosrica* accepisset: his rationibus innixus, quod omne promissum cadat in debitum; & debita per expletionem juris Gentibus exigere liceat. Verum Rex *Cosrica* injuste secum agi dequeritur, cum officia liberalitatis & gratitudinis omnem coactionem repudiant: & ex his virtutibus profecta promissio, quæ in pacti vim per alterius acceptationem haud evaluisset, jus Regi *Darfinia* perfectum non contulerit. Quæ nobis non injusta querela videtur.

CASUS XVII

c. XII.
§ IX. Mercatores *Mergani* telas civi *Silbonensi* vendunt, qui statim pecuniam numerat. Sed postquam illas ex loco peste infecto advectas esse comperit: hanc repent à venditoribus, quod hoc telarum vitium non significassent. Hi excipiunt, vitium hoc esse loci, non telarum: illa vero, quæ rem haud contingunt, non injustè à venditore taceri. Repletat emptor, contagii periculum à loco ad merces serpere: adeoque de vitio agi, quod ipsas telas afficiat. Nos venditores ad pretii restitutionem condemn-

demnamus; nec audimus cautionem offerentes de indemnitate præstando emptore, cum periculum damni irreparabilis ex rei venditæ contagio immineat.

CASUS XVIII.

Prædones grassantes in *Talia* mercatorem *Culensem* in itinere invadunt; ab illo mille aureos exposcentes, quos solvere jam non valentem, strictis gladiis, & incusso mortis metu adigunt, ut juret: quod dictam summam in certum locum intra certum tempus deferre velit. Sic dimissus mercator novis curis conficitur. Hinc illum jurisjurandi religio terret: inde jactura pecuniæ promissæ cruciat. Itaque ne conscientiam minus, quam familiæ, curam habere videretur, *Paulum* consulit & *Charisium*. Ille respondet, juramentum vi injusta extortum involuntarium & invalidum esse; adeoque jurantem non obligari, ut illud adimpleat. *Charisius* censet, sine peccato violari non posse hoc juramentum: ex quo licet illi, in quantum gratiam juratum est, jus exigendi non consequantur: Deo tamen præstans obligetur. Nos in consilium *Pauli* proclivem, quo rei familiaris cura mercatorem inclinaverat, in tutiorem *Charisii* sententiam retrahimus.

CASUS XIX.

Rex *Laurentia*, congressus cum Rege *Tacalonia*, per suasionibus astutis induci se passus erat, ut huic insulam bello acquisitam, in vicino mari, benè munitam & opulentam, pro modica pecuniæ summa cederet. Deinde domum reversus, re accuratius perpensa, Regi *Tacalonia* insulam non vult tradere; & huic traditionem urgenti respondet: se ut circumscriptum læsumque contra hunc contractum uti velle beneficio restitutionis in integrum.

Replicat Rex *Tucalonia*, hoc beneficium ex jure Romano descendens inter Principes locum non habere: cum superiorem non habeant, à quo restituantur, Grotii hypothesis innixus. Rex *Laventia* vero dicit, si evidens aequitas postulet, posse principes & liberos populos se ipsos restituere; adeoque & in ipso Jure naturali hoc beneficium contendit radicari: allegans ALBERICUM GENTILEM de *Jure Belli* l. III. c. XIV. CONRINGIUM de *Finibus Imperii* c. XIX. n. VIII. Denique BOECLERUM, ZIEGLERUM & BODINUM; Cui nos subscribimus.

CASUS XX.

c. xv.
§. VIII.
ix, xxi
& xii. TABAVI Christiani foedus ineunt cum *Sepria* Rege infideli, contra Regem *Nidia*, itidem infidelem. Rex *Ataquinia Tabavis* imminens, inter plures belli pretextus, invidiose exaggerat, illos foedera cum infidelibus, Christianis ~~aliqua~~, pangere; & Christianum nomen hoc dedecore ~~ad~~ spargere. *Tabavi*, ut se Gentibus Christianis purgent; protestantur, se foedus cum Rege infideli non contra Christianum populum, sed infidelem inivisse, adeo quæ nihil religione sua indignum fecisse: cum nulla universalis pravitas in foedere cum infidelibus involvatur, sed ex circumstantiis demum emergat: quales sint, si foedus offensivum cum infideli populo in Christiani perniciem contrahatur. Quæ cum ita sint, nos *Tabavos* facile absolvimus.

CASUS XXI.

c. xvi.
§. xii. Rex *Ragaronia*, in foedere cum *Egunensibus* inuito, his promiserat auxilia contra quemvis hostem: quibus cum *Dausabia* Regulus bellum inferret, ille exercitum classemque instruens, promissi memor, *Egunam* protegit, & terra
ma.

marique repressum bello temere moto decedere cogit. Pace vero composita, Rex *Ragaronia* ab *Egunensibus* quinque tonnas auri, in bellum hoc erogatas, repetit. Hi tales solvere se teneri negant: cum in foedere se ad restitutionem impenfarum haud obligaverint. Opponit Rex *Ragaronia*, auxilia promissa ab una tantum parte intelligeberi impensis ejus, qui postulabit. Cujus causam armis Grotii tuemur.

CASUS XXII.

Relfonsini, per *Nomedam* transitum obtinentes, non exiguam agrorum consistorum partem sic vastant: ut fructus inde nulli vel exigui proveniant. *Nomedenses* ergo damni ex intercepta messe emergentis reparationem à *Relfontinis* postulant. Hi sementis pretium offerunt, fructuum incertam spem à se præstandam esse negantes, cum in re nondum existente damnum illi pati haud valuerint. Rege- runt *Nomedenses*, messem jam in semente præexistisse, & certam fructuum spem cum illorum causa eversam esse. Nos certe *Relfontinos* ad damni ob interceptam messem dari lucrive cessantis reparationem condemnamus.

C. XVII.
§. V.

CASUS XXIII.

Aquilium Rex mittit *Egunam* Legatum assiduum, quem hodie *Residentem* vocant. *Egunenses* talem nolunt admittere, ad antiquum provocantes morem, cui *legationes assidua* fuerint ignoratae: cum nulla adsit tales ablegandi necessitas. Metuebant autem, ne imminente exploratore perpetuo, Respublica quid detrimenti caperet. Verum *Aquilium* Jus Genium ab *Egunensibus* violari, sibi que justam belli causam dari protestatur: cum non tan-

C. XVII.
§. III. 2.
2.

tum in necessitate, sed etiam utilitate Jus Gentium fundetur: ad hoc innumeris exemplis & testimoniis probari queat, hodie in orbe imperante tales legationes receptas esse. Quamquam pro *Egumensibus* stet Grotii decisio, cui prælusit ALBERICUS GENTILIS l. 2. de *Legationibus* c. XVII. inreperide tamen secundum *Aquilum* decernimus,

CASUS XXIV:

a. XIX.
c. I. II.
III.

Exarserat bellum inter *Nesevos* & *Torilenses*, cui se immiscentes, *Varabi* copias auxiliares *Nesevis* submiserant. Has *Torilenses* antequam in *Nesevorum* limites penetrarent, viis undique interclusis, in angustias compulsas, in finibus *Hetvelorum*, omnes propè deleverant. Quæ quamquam strages pacem inter *Nesevos* & *Torilenses* promoveret: mox tamen novi belli incendium excitasset, Quippe *Varabi* comperta legionum suarum clade, ab *Hetvelis* postulant: ut curent in illorum finibus jacentia cæсорum militum suorum cadavera sine mora sepeliri, non leviter dequerentes, injuriam mortuis factam, quibus fortè jam a feris bestiis prostritis, aut magna ex parte lancinatis, sepulturæ officium Jure Gentium debitum hæcenus non fuerit exsolutum. Respondent *Hetvelis* se non obligari, ut cæсорos in campis suis *Varabos* suo periculo & sumptu sepeliant, quorum jam foetor vicinis accolis non exiguum damnum intulerit. Permittere interim *Varabis*, ut mittant, vel ex *Hetvelis* quosdam conducant, qui illorum corpora terræ reddant. Quo responso *Varabi* aded ostenduntur, rati ab *Hetvelis* fortis humanæ commercium & mundi fœdera tolli: ut parum abesset, quin illis bellum denunciarent. Nos quidem haud negamus ex lege charitatis sepulturam debuisse *Hetvelos* cæсорis *Varabis*: Sed juri Gentium satisfecisse, hanc permittendo, arbitramur.

CA:

CASUS XXV.

Rex *Lorgut alpie* à Rege quodam *Nidia* ethnico postulât, ut religionem Christianam amplectatur. Hoc facere recusanti bellum denunciat; illumque terraque oppugnat. Hic *Tabavos* implorat, ut sibi sine ulla data causa injustè in vaso succurrere dignentur. *Tabavi* justo illius desiderio annuentes denunciant *Lorgut alpensibus*, ni pacem cum dicto Rege *Nidia* fecerint, bellum. *Lorgut alpensēs* excipiunt, injuste sibi bellum denunciari à *Tabavis*, quos nulla injuria læserint; se vero justum bellum gerere, ad propagationem religionis Christianæ spectans. Replacant *Tabavi*, religionem Christianam vi propagandam non esse; & qui propter illam populo Ethnico bellum intulerit, nulla alia injuria læsus, illum id agere ut infantes opprimat, quos defendere justum & honestum sit. Nos à *Tabavorum* partibus stamus.

C. XL
S. XLV

CASUS XXVI.

Melcandri mitissimi Regis, ex sua virtute communes hominum mores æstimantis, conniventia, in regno *Licia*, atrocia quædam vitia, n. adulteria, scortationes, lenocinia, perjuria, blasphemix, superstitiones, falsationes, fraudes, injuriæ, furta, calumniæ, scurrilitas, contumacia, luxus &c. passim grassari & radices agere cœperât, impunis scandali, & accedente peccandi audaciam, & latius serpente contagio. Optimum Regem jam olim id meditantem, ut stricta Authoritatis suæ in improbos accie, hæc delicta compesceret, in alias curas ab hoc consilio quidam consiliarius, quem *Dissolutum* appellabimus, his rationibus diverterat. Tutius esse, ut delicta præsertim occultiora, in quæ Magistratus inferiores non aude-

C. XLVI
S. XLVI

ant

ant inquirere, impunita relinquuntur, quæ in lucem protrahi sæpe sine majori scandalo nequeant. Interim daturos Deo, cui quisquemortalium pro se rationes reddere teneatur, satis pœnarum improbos. Principem ad illa tantum delicta inquirenda, quibus status Reipublicæ lædatur, si non sint manifesta, præcisè teneri. Sensum humanæ imbecillitatis exuere & crudelem fore, qui omnium hominū vitia, mansura donec homines erunt, supplicii velit coercere: imitandū esse Deum, qui quotidie peccātibus ignoscat: deniq; adultiora vitia, quam ut sine magno Reipublicæ metu extirpari queant, prudentius dissimulari. His rationibus quanquam ad tempus quidem in soporē pro vecta *Meleandri* conscientia videretur: postea tamen, non sine divinæ providentiæ nutu, ad idem consiliū acrius cœpit extimulari: cum cerneret congestā in Regno suo ingentem malitiæ struem, mox iræ divinæ in flammam erupturæ, ni mature dissipetur, præbituram pabulum. Itaque super isto negotio cum *duobus Ministris*, quos pios, fidos, justos & innocentes nactus erat, deliberationem instaurat. Hi graviter differunt, omnino hæc vitia Rempublicam nunc directè nunc indirectè lædere; Principem esse constitutum à Deo legis moralis custodem, & scelerum vindicem, cui officio ni satisfecerit, culpam a delinquentibus in ipsum derivari: puniri aliquando integros populos, ob paucorum impunita delicta. Lapsis quidem, si à lapsu resurgant, ignoscendum esse: at noxam iterantes & sceleris habitum contrahentes, sine numinis offensione & majoris contagii periculo, impunitos relinqui non posse: tam omnibus ignoscere crudele esse, quam nulli: daturos Deo pœnas principes, si non puniant adulteros, lenones, perjuros, blasphemos, falsarios, fures &c. infami scelere civi-

civitatem contaminantes, & legem moralem, quæ est vinculum inter Deum & homines, intolerabili pertinacia violantes. Magistratus inferiores ab inquisitione sæpe timorem arcere, ne indicia sufficiant, neve delinquentium autoritate & potentia circumveniantur. At principi ad atrocita delicta protrahenda famam publicam sufficere. Maturè ergo occurrendum gliscenti malitiæ, antequam majores vires capiat: caute interim hic procedendum, captanda tempora maxime opportuna, in delicta maxime scandalosa inquirendum: denique in principio tentandum esse, an mitiora supplicia sint malo eradican-
do suffectura,

CASUS XXVII.

Extruxerat Rex *Lasticia* multa in limitibus regni sui ^{CXXX} §. 7. propugnacula, ex quibus tempore belli vicinis *Randaria* Ingentia damna poterant inferri. Ad hoc non contemnendum conscripserat exercitum, & magnum adornare bellum videbatur. Vicini potentia & suo periculo Rex *Randaria* conterritus: ne sibi tanta armorum vis inmineret metuens, nec aliis certioribus indiciis innixus, adscitis foederatorum auxiliis castra movet & à Rege *Lasticia* instantem armorum vim præventurus postulat, ut conscriptum exercitum dimittat; erecta in sinibus propugnacula destruat, seque omni metu periculi liberet. Verum hic injuriam sibi fieri à vicino dequestus, gravi cum isto bello collidi, quam postulata facere maluit. Quod si bellorum successus ex causæ justitia semper penderent, non felicem sperare posset Rex *Randaria* belli eventum. Quippe in suo regno propugnacula erigens vicinus, dum suo jure usus est, illi non fecerat injuriam. Licuisset con-

D

tra-

trarias munitiones in suo territorio Regi *Ravenna* ex-
struere; item cogere maturè copias, ne imparatus inva-
deretur, cæterum metus & vicina potentia justam illi bel-
landi causam non præbebat. Nam adversus timores incer-
tos, si reliqua remedia haud suffecerint, à divina provi-
dentia expectandum est præsidium.

CASUS XXVIII.

C. XXIII
§. VIII. Lite inter *Challavos* & *Lomdavos* exorta super di-
tione limitanea, utrisque placuit in *Silvatrannos* tan-
quam arbitros compromittere. Interim *Silvatranni* pec-
cunia corrupti cum *Lomdavis* collidunt; & his ditionem
litigiosam adjudicant. *Challavi* fraude comperta, stare
Laudo & ditionem adjudicatam, quam possident, *Lom-
davi* tradere nolunt. Hi traditionem urgent, quod nul-
la læsionis exceptione obligatio ex laudo possit elidi. Re-
gerunt illi, se sententiam *Silvatrannorum* non ex capite læ-
sionis, quanquam & hanc dequerendi causam habeant, sed
ex capite nullitatis oppugnare, quod *silvatranni* officium
arbitri deserta neutralite exuissent. Quos defendere mini-
me veremur, cum officium arbitri sit procul habitis gratiæ
vel commodi causis, æqualiter partes æffirmare, neq; plus
favoris adversus unam, quam alteram ostentare, nisi
quantum ex meritis causæ oritur.

CASUS XXIX

C. XXIV
§. II, III. *Sipa* Respublica libera, Regis vicini, quem *Vudolum*
appellabimus, erectam quondam in signum reverentiæ
& accepti memoriam beneficii statuam dirui in foro iusse-
rat. Quare cum graviter offensum esse *Vudolum Sipa-
tes* intelligerent; & hujus facti accuratius perpensi illos
serio pœniteret: statuam restituerunt; & per Legatum ve-
niam

niam à *Vindolo* submissè petunt. Verum hic castra movet & *Sipam* obsidione premit, perhibens se venire, ut puniret injuriam sibi illatam. Nos injustam allegari belli causam à *Vindolo* censemus. Nam cum *Sipa* esset Respublica libera, ab illo puniri non poterat; & si pœnalia bella locum haberent, debuisset tamen hanc injuriam in se commissam *Sipensibus Vindolus* condonare: præsertim postquam illi statuam restituissent; & per deprecationem læsum Regem placatum ivissent.

CASUS XXX.

Basaudia Regulus arma contra *Venegam* moverat, c. xxv. §. III. illam obsidione cincturus, nisi duos cives quibus infensus erat, sibi dederet. *Veneenses* hinc cives innocentes esse, inde sibi exitium imminere, nisi dederint, perpendentes: in diversas sententias distrahuntur. Alii ex dominio eminente à Republica, vitandi periculi gratia, innocentes etiam dedi posse, Grotii principiis innixi, statuebant, Alii Rempublicam debere tutelam civibus; placuisse singulis cum in civitatem coirent, ut omnium esset communis fortuna, eadem salus & commune periculum. Denique dominium eminens se non ad vitam subditi innocentis extendere, censebant. Quorum nos sententiz ad stipulamur.

CASUS XXXI.

Rex *Liphippus* contra populum *Traspanum* bellum c. xxvi. §. III. instaurabat, ad quod tametsi atrocibus *Traspanorum* injuriis se compulsus esse protestaretur: revera tamen illum lucri spes & imperii proferendi cupido illicere videbatur. Hinc nonnulli ex *Liphippi* militibus de causæ justitia dubitantes, præstaretne in hoc bello Regis signa sequi, an

deserere? hærebant. Itaque *Affennus* consulunt, qui respondet, certum esse, quod debeant Regi obedientiam; incertum vero, an causa belli ab ipso moti sit injusta: tenendum ergo esse certum, & relinquendum incertum. Cum enim ad militum conscientiam in tuto locandam sufficiat, causam belli non esse manifeste injustam, tum præsumptionem justitiæ in hoc dubitationis crepusculo pro Rege stare. Violaturos itaq; conscientiam *Liphippi* milites, si impositam militandi necessitatem detrectarent. Quam sententiam, quamvis Grotio displicentem, tamen & nos amplectimur.

CASUS. XXXII.

LIB. III
C. I.
§. X. VII.
XVIII.

Helmitus Princeps vicinum Regem justo bello invasurus, hoc utitur stratagemate. Spargit rumorem in castris ad hostes interceptos penetrantem, quod in meridionalem regni plagam primum velit impetum facere. Captivis deinde ad suos elapsis, & hoc nuntiantibus dum fidem habent hostes; adeoq; omnes copias in meridionale latas convertunt, *Helmitus* in partem regni Septentrionalem præfidiis denudatam irrumpente, in magnum periculum conjiciuntur. Rex interim ab *Helmitus* invasus apud gentes queritur, infami se modo n. mendacio omni jure illicito circumventum esse. Cæterum, qui ab *Helmitus* stant partibus, negant illum illicito stratagemate usum esse: cum falsiloquio assertorio hostem fallere sit non interdictum. Quibus & nos subscribimus.

CASUS XXXIII.

C. II.
§. II. &
VII. 2.

Temilensibus quinquaginta talenta *Cisuli* ex pacto debebant, quæ cum illis quamvis sæpius admoniti non solverent: *Temilenses* quasdam naves mercatorias *Cisulorum* inter:

intercipiunt, & ex mercibus, quibus erant onustæ, solenniter distractis Centum talenta conficeriunt: Re compta *Cisuli* repetunt naves & residuum pretii, æstimatione facta, quanti merces dami valuissent, ubi ex mercibus vulgaribus centum & quinquaginta talenta potuerint cogi: ad hoc in illis gemmas insculptas, statuas antiquas & rara numismata existisse, quæ ex affectione taxanda, quinquaginta talentorum valorem æquaverint. *Temilenses* nihil præter naves restituerunt, perhibentes, non pluris distractas merces, quam quanti *Cisuli* constitissent, æstimandas esse. Jam vero constare, quod in has non ultra quinquaginta talenta impenderint. Nos quidem *Temilenses* à restitutione residui non absolvimus: Sed ab illis pretium affectionis, vel alterius fori, quam ejus, ubi distractæ sunt merces, attendendum esse, pernegamus.

CASUS XXXIV.

Flagrante inter *Danvalos* & *Xasones* bello, his *Belucenses* commearum, pecuniam, arma & omnis generis ^{c.m.} ^z instrumenta bellica largè subvexerant; viresque *Xasorum* in tantum adauxerant, ut facile belli successu superiores existerent. Pace deinde inter utrumque populum copposita: *Danvali* memores damni accepti, contra *Belucenses* arma commoverunt; & plurimos illis pagos eripuerunt. Horum restitutionem cum urgeret *Beluca*, denegarunt *Danvali*, quod justo dictos pagos dicerent bello occupatos. Excipiebant *Belucenses* sibi nullum bellum à *Danvalis* indictum fuisse: occupationem vero bellicam, quam nulla præcesserit belli indictio, omni effectu inter gentes carere; & latrocinio esse simillimam. RePLICABANT *Danvali*, non opus fuisse tali indictione, cum

Belucenses bello solemniter *Xasonibus* indicto, his adjutis, se immiscuissent. Reponunt *Belucenses* bello semel *Danvalorum*, cum *Xasonibus* finito, non potuisse horum focis, sine præviana indictione, justè bellum inferri. Horum causam & nos propugnamus; adeoque *Danvalos* obligari asseveramus ad restituendos prædictos pagos, cum omnibus fructibus perceptis & percipiendis: quorum dominio per vim injustam *Belucenses* exuere non potuerunt.

CASUS XXXV.

C. IV.
§. XIX.

Principis *Childerici* cum *Truheria* Regulo bello collisiquidam denturio, quem *Clodium* appellabimus, excursionem in fines hostiles facta, *Sempronius* nobilis conjugem violento stupro compresserat. Bello deinde finito & exercitum à *Truheria* Regulo dimisso, *Clodius* jam privatus *Childerici* territorium, meriti sui immemor & nullum periculum suspicatus, intrat, ubi deprehensum & custodia traditum *Sempronius* adulterii & stupri accusat, quod uxoris suæ pudicitiam in excursionem bellicam vi læsisset. Excipit *Clodius* hoc in solenni bello gestum esse, in quo Jure Gentium omnia in hostem cecant. Replicat *Sempronius*, efferatæ libidinis actum ad belli successum nihil momenti conferentem, omni jure damnatum, nec bello nec pace impunitum relinqui debere. Succumbit *Clodius*; & ad meritum supplicium abripitur.

CASUS XXXVI.

C. V.
§. II, n.
2.

Quidam Princeps *Calvini* sacris addictus, cui *Strenui* nomen imponemus, cum Rege Pontificio secundo Marte bellans, victoriae licentiam in templa Pontificia converterat; & in his exstantia Sanctorum simulacra partim

tim deturbaverat, partim pretioso ornatu suo spolia-
 verat. Quam rem publicis libellis nefandi facino-
 ris contra Jus Gentium admissi nomine hostes tradu-
 xerant, quibus præoccupatus Rex *Garaltia* itidem Pon-
 tificius recusat admittere *Strenu* legatum, perhibens
Strenuum Jus Gentium violasse, quo nefas sit simulacra in
 templis collocata, quibus reverentia debeatur violare,
 adeoque Juris Gentium privilegiis indignum esse. *Stre-
 nuus* injuriam sibi fieri queritur, non enim se statuas
 templorum, idololatriæ occasionem superstitiosæ plebi
 præbentes, quibus nullam reverentiam deberi credat,
 ornamentis, quæ Jure victoriæ usus in belli usus converte-
 rit, exuendo, Jus Gentium violasse; sed Regem *Garaltia*
 ex triviali causâ Legatum rejiciendo, mundi fœdera
 fastulisse. Neque est injusta hæc *Strenui* querela.

CASUS XXXVII.

Marte inter *Darsos* & *Eribos* late saviente, horum C. VI.
 illi plurimas naves mercatorias interceperant, suosque S. V. VI.
 in portus deduxerant, in quarum onere merces erant ad
Tribannos, *Marotendenses*, *Tialos* pertinentes. Hi com-
 perto navium à *Cranis* interceptarum fato, ab his mer-
 ces repetunt, quas suas esse, luculentis probant docu-
 mentis. Excipiunt *Darsi*, pro rebus hostilibus habendas
 esse, quæ in hostium navibus fuerint repertæ. Repo-
 nunt mercium domini præsumptionem istam contrariis
 probationibus elisam esse, quorum nos causam tuemur.

CASUS XXXVIII.

Marnonni Sirfiorum, cum quibus bellum solenne ge- C. VII.
 rebant, ingentem numerum ceperant. Hos oblato lytro S. IX.
 repetentibus hostibus *Marnonni* omnes reddere nolunt:
 sed selectos ex illis robustiores triremibus dicant. *Sirfis*
 se.

serviutis, quæ Jure Gentium hodierno inter populos Christianos exspiraverit, speciem esse, alligari triremibus protestantur. Nobis à *Marnovis* omnes captivos, perfoluto ab hoste pretio, relaxandos esse, placet defendere,

CASUS XXXIX.

C. VIII.
S. IV. n.
2.

Rex *Maldasia Garusam* bello solenni devicerat; & Jure usus victoriæ statum illius Reipublicæ, ut placuit, immutaverat. Debebat *Garusa* annum censum vicinus *Eripi* Regulus, hunc victor creditori remisit. Cum deinde *Garusa*, clementer usus victoria, jus Reipublicæ sub certis conditionibus reliquisset: *Garusenses* quieti restituti, ab *Eripi* Regulo censum postulant. Hic se liberatum esse illo onere à Rege *Maldasia* protestatus est. Excipiebant *Garusenses*, sibi censum, non Regi *Maldasia* deberi, adeoque ab hoc remitti non potuisse. Repleat *Eripi* Regulus, ex jure victoriæ *Maldasia* Regem id facere potuisse, Cujus causam defendimus.

CASUS XL.

C. IX.
S. XIV.

Cum Ducis *Truberia* palatium hostes diripissent, ille inastimabilis pretii adamantem cum aliis gazis amiferat, Hunc Ducis prædicti quidam foederatus, qui cum copiis suis advolans, uno vel altero secundo prælio hostium vires non parum attriverat; & Duci *Truberia* respirandi spatium fecerat, à captivo centurione recepit. Parte deinde inter ducem *Truberia* hostesque secuta, cum ille adamantis amissi præcipue desiderio angeretur, atque intelligeret illum à foederato esse recuperatum: hunc à possessore vindicatum ibat. Possessor excipiebat, se adamantis hostibus prepti dominum esse. Respondebat Dux *Truberia*, postliminio res à locis hostibus ereptas ad priores dominos redire, Repliebat possessor ab hac regula

lares mobiles excipi, quæ postliminio non redeant, sed in prædam capientibus cedant. Nobis potior esse videtur possessoris causa.

CASUS XLI.

Rex quidam, cui nomen *Roberti* imponemus, populum liberum, sine ulla justa causa, ex mera proferendorum finium cupidine, bello invaserat, in quo multa isti loca eripuerat, & irreparabilia damna, omnibus ferro & flamma vastatis, intulerat. Tandem pace restaurata pauca loca prædicto populo restituantur, plura *Roberto* addicuntur, iniquas condiciones extorquenti. Quibus hic, dum conscientia dormiebat, sic satis securè ad tempus fruebatur: misero interim illo, quem expilaverat, populo, cum paupertate & ærumnis luctante. Cæterum ubi furia, quas divina vindicta Tyrannorum pectoribus immittit, *Robertum* exagitare visa sunt: cœpit culpæ suæ meminisse, & ut animæ curam susciperet, poenitentiam acturus esse videbatur. Sed cum intelligeret, Deum ipsi hoc peccatum non remissurum esse, nisi injusto bello extorta restituisset, & damna illata reparasset vastato populo: ad hanc conditionem hæsitans, Paulum & Florentinum de jure suo consulabat. Ille respondebat, Jus Gentium non exigere, ut in bello solennitè occupata loca restituantur, & damna illata reparentur. Hic censébat, Jus Gentium internum utrumque exigere, si sine justa causa bellum sit inceptum: utrumque ergo à *Roberto* præstandum esse, si in foro poli absolvi velit. *Robertum* à posterioris amplexu consilii avaritia & genius in tyrannidem pronus revocat. Sic ille furiis suis relictus, ædè diu multumque agitatus, denique moritur, ejus
visaq; cum gemisu fugit indignata sub umbras.

E

CA.

CASUS XLII.

C. XLII.
LXVIII.

Rex, quem *Severum* dicimus, damni à certa Republica illati memor, invictum exercitum in hujus fines immiserat, omnia ferro & flamma devastaturus: nisi persolutis mille talentis damnum, quod perpeffus esset, promptè repararetur. Respublica, quæ tantam pecuniæ summam statim cogere non valebat, à *Severo*, postquam illi obsidibus datis cavisset, quod postulatam summam intra annum pendere vellet, obtinuerat, ut copias revocaret atq; dimitteret. Caterum Respublica promissi fidem non exsolvit: etiam si cautum esset, ut liceret *Severo* obsides trucidare, si pecunia in termino præstituto non penderetur. Itaque *Severus* pœnas de obsidibus sumere jam decreverat, cum à consiliariis in mitiorem sententiam revocatus est. Hi enim *Severo* ostenderunt, sine gravissimo peccato obsides innocentes trucidari non posse; neque hos vel Republicam, vel seipfos ad necem obligare potuisse, in quorum vitam solus obtineat dominium DEUS.

CASUS XLIII.

C. XLIII.
LXV. VI.

Liphippus Rex Christianus & Pontificius fortissimis copiis *Loponiam* invaserat: cui cum ad bellum hæc impetrata resistere non posset, ille omnia longè latèque in *Loponorum* territorio tanta crudelitate vastavit, ut monasteriis quoque ignem immitteret, & ne templis quidem, aris, sepulchris parceret: nullo alio allegato prætextu, quam quod imperatam supra vires pecuniæ dictorum locorum sacrorum curatoribus extorquere non posset. Quam crudelitatem, propriæ religioni non parcentem, Christiano Principe indignam, omnes populi, ad quorum notitiam pervenit, magnopere sunt detestati.

CA-

CASUS XLIV.

Parabi debebant *Mehobis* decies centena millia scutatorum à longo tempore, quibus cum neque sortem neque usuram solverent, armis hoc creditum exigendi necessitatem imposuere. Conscribunt ergo *Mehobi* exercitum bellumque instaurant, quod in plures annos protractum carè moventibus constitit. Tandem flagrante adhuc bello *Mehobi* præterdunt ultra sortem & usuras quindecies centena millia scutatorum, in præsens bellum erogata; *Parabi* ad solvendos totius belli temerè moti sumptus se non teneri respondent: & sibi quoque defensionem carè constare, adeoque iniqua ab hoste postulari contendunt. Nobis non injusta petere *Mehobi* videntur, quanquam humanius agerent, si de Juris sui rigore hic aliquid remitterent.

C. XLIV.
§. III. IV

CASUS XLV.

Quidam centurio hostem in bello solenni captum, ^{C. XLV.} _{§. III.} cujus operis diu erat usus, deinde sine causa interfecit. ^{IV.} Idcirco accusatus homicidii ab interfecti cognato excipit, in captivos & servos omnia extrema Victori licere. Replicat accusator, Jus vitæ & necis victori in captivos innocentes nullo jure competere; & causam obtinet.

CASUS XLVI.

Rex quidam Ecclesiæ Romanæ addictus, qui populum ^{C. XLVI.} _{§. XL} *Calvini* sacris innutritum bello in potestatem redegerat, imperat victis: ut religionem *Calvinianam* abjurent. Hæc mori se malle, quam avitam religionem contra conscientiam ejurare, profitentur. Quæritur, hinc contumaciæ postulari mereantur, an ille pro injusto sit habendus? Postremū nos asserimus, cum avitæ religionis usus nisi persuasus eripi sine summa crudelitate & injustitia nequeat.

CASUS XLVII.

C. XVI.
S. I. II.

Rex quidam, quem *Seleucum* appellabimus, tempore pacis *Marenia* Regi quædam loca armis excusserat; & vicino Principi *Tiridati*, in bello solenni quidem sed injusto, ditionem limitaneam extorserat. Verum ut non solet esse diuturna possessio, in quam gladio quis inducitur: ita contigit, ut *Seleucum* deinde bello opprimeret Rex *Arsaces*; & toto regno victor exeret. Ab hoc ergo per Legatos *Marenia* Rex & Princeps *Tiridates* locorum injustè sibi à *Seleuco* ereptorum restitutionem postulant. Verum ille, se Jure belli illorum Dominum factum esse, protestatur. Excipit *Marenius*, *Arsacem* jure victoriæ illa tantum, quæ in dominio *Seleuci* fuerint, acquisivisse: jam vero locorum, Regi suo tempore pacis ademptorum, *Seleucum* ne externum quidem dominium habuisse: sed illa possedisse ut prædonem. Respondet *Tiridatis* Legatus, injusto bello fuisse à *Seleuco* ditionem, cujus restitutionem urgeat, Principali suo extortam: ex quo victor dominium internū in occupata non acquirat. Nos Regem *Marenia* dicta loca vindicare potuisse, *Tiridatem* vero non injusta petere arbitramur: cum sine peccato huic *Arsaces* restitutionem ditionis, à *Seleuco* bello injusto occupatæ, denegare nequeat.

CASUS XLVIII.

C. XVII.
S. III.

Cum *Grunbudi Tholaringis* bellum intulissent, de cujus injustitia inter gentes constaret: hi per *Mapcanorum* fines transitum quæsiere. Verum *Mapcani*, se medias partes eligere perhibentes, transitum hunc *Tholaringis* permittere posse, negabant. Interim *Grunbudos* com meatu juvarunt. His injuriis offensi *Tholaringi* denunciãt *Mapcanis*, se illos pro hostibus imposternū habituros, quod *Grunbudo-*

TUM

rum partes haud obscure sequantur. Exciipiunt *Mapcani*, senihil neutralitate indignum fecisse: quem enim non permiserint *Tholaringis* transitum, illum se nec *Grumbudis* permitturos esse; & comneatum, quem vendiderint *Grumbudis*, vendituro setiam *Tholaringis*. Replieant *Tholaringi*, illorum, qui in bello volunt esse medii, officium esse, ut bellantium causas respiciant; & nullo modo vel injusti offensoris vires adaugeant, vel justam defensionem remorentur. Deinde neutralitatem jam exuisse *Mapcanos*, officium humanitatis uni exhibendo, alteri denegando: denique plus favoris adversus fontem, quam in fontem ostentando, meruisse à se pro hostibus haberi. Nos *Tholaringerum* causamagemus.

CASUS XLIX.

Regulus, cui nomen est *Commindorigis*, arma ex fri. c. xviii
vola causa contra Principem *Lacabria* satis præcipitanter §. v.
moverat, à malo consultore inflammatus. Erat is *Scævola*,
eques opibus & gratia *Commindorigis* florens, qui infen-
so erat, nescio qua offensione læessitus, erga Principem
Lacabria, animo. Hunc *Commindorigis* præfecit copiis, quas
contra hostem in aciem produxit, expresso illum mandato
constringens, ne hostis vicini tectis ignem, agris vastitatem
immitteret: Verum *Scævola*, post unum vel alterum im-
parati hostis castellum expugnatum, in medios *Lacabria*
campos furorem effunderis, pagos & prædia incendit, a-
grosque vastat; & eum *Commindorigis* hæc facinora ex-
culari non posse sciret, fuga sibi consulit. Interea Princeps
Lacabria, adscitis fœderatorum copiis, fortissimum & tre-
mendum hosti exercitum colligit. Mittit itaque *Commindorigis*
Legatum, ad *Lacabria* Principem, qui mentionem de
pace injiciat, & castellorum occupatorum restitutionem
offerat, cum amnestia illorū, quæ ultrò citroq; in hoc bel-

lo sint gesta. Hostis non aliter se pacem-initurum esse re-
sponder, quam si damna per incendia & vastationem a-
grorum illata, quæ mille talentis æstimat, reparantur.
Negat *Commindorix*, se ad damni hujus reparationem te-
neri, quod injussu suo, & contra mandatum expressum,
Dux belli *Scævola Lacabris*: intulerit cujus prædia, ducentis
talis valentia, tradere velit *Lacabria* Principi, illius insu-
per facinora criminali processu persecuturus. Conditio-
nes hæc tales nobis esse videntur, ut in illis *Lacabria* Prin-
ceps acquiescere debeat.

CASUS L.

CXIX. Duo hostes *Scipio* & *Amilcar* castra castris contulerant.
LI. Contigit autem, ut *Scipio* inopia premeretur: & *Amilcar*
pulveris nitrati defectu laboraret. Itaque cum uterq; illo
abundaret, quod deficeret alteri, conventionē iniverunt;
de mille modis farinae mille tonnis pulveris nitrati cra-
stina die permutandis. Hæc vix illuzerat, cum *Scipioni* nun-
tiatur, ingentem frumenti copiam in castra advectam es-
se. Itaq; *Scipio* animadvertens, se hoste superiore futurum
esse, si pulverem nitratum ipsi non subministraret: in confi-
lium adhibuit exercitus sui Proceres, num liceret fidem ho-
sti datam violare? Unus neq; Jure Naturæ, neq; Jure Genti-
um cujus, vinculū diffitebatur, *Scipionem* obligari ad præsta-
tionem pulveris nitrati, manere statu belli promissam, pu-
tabat. Contrarium quidē moribus Gentium introductum
esse, sed hos necessitatem moralem nullam imponere *Sci-
pioni*, submonens. Alii Jure Naturæ omnino fidem & hosti
exsolvendam esse censabant. Quorum sententiæ & nos
adstipulamur, non ex ratione Grotii, quod hostes, quæ ho-
mines, habeant communionem Juris Naturalis, neq; ex so-
la ratione *Feldeni*, quod per pacta hostium distractio inter-
rumpatur: sed, quod intrinsecam involvat turpitudinem,
fidem fallere.

GA

CASUS LI.

Contulerant signa Rex *Rysia* & *Abaria*. Capitur in a-
cie Rex *Rysia*, & cum captivo pax initur. Postquam ergo
Rex *Rysia* ex captivitate dimissus est, iniquissimas sibi
conditiones extortas esse dequestus, ad has implendas se
obligari negavit: præsertim cum populus contradiceret.
Rex *Abaria*, primum ex privato thesauro promissam pec-
uniæ summam depromere posse *Rysia* Regem, deinde in
regio statu pacem inire, Regis esse non populi, reponit.
Nos hunc ad pecuniam, si ex thesauro, quem habet in pa-
trimonio, solvere possit, persolvendam omnino obligari,
ad cessas vero ditiones tradendas nullo modo teneri ar-
bitramur.

C. XL
§. V.

CASUS LII.

Postquam *Culubus Tigranem* in castra redegisset: utriq;
placuit viginti dierum inducias pacisci. His durantibus,
quidam ex *Cululli* exercitu milites, ausu privato, quosdam
Tigrani Ministros in itinere adorti sunt, spoliarunt & tru-
cidarunt. Intellecto hoc suorum facinore *Culubus*, reos
in crucem agi jubet, & spolia *Tigrani* restituit. Hic vero
desiderio interfectorum Ministrorum commotus queri-
tur, ab exercitu *Cululli* inducias esse ruptas; adeoque sibi
quoque licere ad arma redire contendit. Respondet *Culubus*,
privata militum suorum facinora non rumpere indu-
cias. Certè de his abundè, *Tigrani* satisfactum erat, pu-
nitis patratibus & præda restituta.

C. XLII
§. XI,
XIII.

CASUS LIII.

Rex *Aistulphus Brutum* certo præposuerat bello, mandans, ne
hosti inducias ultra biduum porrectas concederet. Contigit de-
inde, ut castello, quod obsessum tenebat, in ducias intriduum in-
dulgeret. Postera die: advolans *Aistulphus*, cum videret inducias
castelli expugnationem remoraturas esse, hostique vires reparan-
di spacium daturas; has rumpendas esse censuit, ratus ex pactione

C. XLIII
§. VII.
VIII.

Brut.

Bruti, contra mandatum suum inita, se non obligari. Verum ab aliis in æquiorē sententiā revocatus est, demonstrantibus, Dum pacta ad ipsum ductum belli & negotii, cui præpositi sint, pertinentia, licet contra mandata arcana præponentis inita, tamen ab hoc infirmari non posse.

CASUS LIV.

C. XXIII
§. VI.

Illustris quidam captivus hosti promiserat, (aus *Cavaliers* Parole) de redeundo intra trimestre spatium in illius castra. Ita ad tempus libertati restitutus peritos consuluit, liceretne sibi fidem hosti datam frangere? Non deerant, qui putarent, ad promissionem hanc metu extortam, & nullo juramento roboratam, implendam haud obligari dimissum. Cæterum tutior erat illorum opinio, qui sine peccato & reatu perfidiæ hanc promissionem hosti factam violari non posse censebant: cum voluntas metu extorta etiam sit voluntas.

CASUS LV.

C. XXIV
§. III.

Cum duo belligerantes, quorum alteri *Sinceri*, alteri *Astuti* nomen indemus, ad conditum colloquium essent congressi: *Astuti* satellites *Sincero* vinciunt ac detinent. Hic perfidiosè secum agi queritur. Respondet *Astutus*, se fidem non fecerit, neque enim *Sincero* in colloquium admissio tutum regressum promississe. Respondebat *Sincerus*, tacitè sibi hoc ipso, quod in colloquium sit admittitur, datam fidem, id innoxium fore.

CASUS LVI.

C. XXV.

Princeps, quem *Bellicosum* dicimus, ad bella natus & gloriæ cupidine inflammatus, totam vitam in bellis egerat, quæ nunquam finiebat nisi cum voto novi resumendi. Latissimum *Bellicoso* spectaculum præbebat fuscus hostium cruor; & maxime illum oblectabat contactu cædibus campi. Quæ indomita bellandi cupido isti sinistram apud alias Gentes famam excitavit; ut illum tantquam publicum generis humani hostem & Gentium carnificem exhorrescerent. *Bellicosus* quidem videri volebat, nullum bellum sine justa causa suscepisse. Sed æqui rerum ultimatores

omnia bella pro injustis habebant, quorum

tuta & justa pax non esset.

F I N I S.